



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

VIII. In Domin. III. Post Epiphan Domine si vis, potes me mundare. Matth.
8. Arg. Pharmacopolium Oecumenicum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

CONCIO. VIII.

INDOMINICA III. POST EPIPH.

Domine si vis potest me mundare. Matt. 8.

ARGUMENTUM.

Pharmacopolium Oecumenicum

Duos extremè affictos, in civitate Capharnaüm, hodiernum nobis exhibet Evangelium. A. Unum quidem leprâ vitiatum, alterum autem paralyticum, utrumque à Christo Domino sanitati prodigiôsè redonatum.

At si à Capharnaüm ad te ô prænobilis urbs N. me convertam, & tuas domus, Xenodochia, Noloemia lustraturus frequentem, non duo duntaxat; sed prope innumeri, quâ corporis languoribus, quâ animi ægritudinis obtortibus, incurrent obtutibus, Quibus ego Christianis ut compatio viscibus; ita ad mitigandos eorum dolores, profligandisque languores lubens digitum thaumaturgum extenderem, & ad imitationem Domini mei, ægritudines quasuis collectis sartinis cogere emigrare. Verum id non hominis, sed divinæ virtutis opus est, aut ex se immediate, aut mediantibus sanctissimis viris sese effuderis.

Quid itaque capio consilii in solatium afflictorum? Desolatæne destitutam? aut etiam cum illo V. T. Mysta, & Levita oculo corneo prostratos despiciam? Absit id à quovis religioso pectore, & membro Christi. Quid ergo molior? Erigam Pharmacopolium Oecumenicum, in quo cunctis male habentibus sufficiam medicinam; eamque non prece, aut pretio, sed solâ bonâ animi voluntate venalem. Cedat id ad M. D. O. M. gloriam, & solatium quorumvis afflictorum.

Narratio.

II. Inter celeberrima priorum sæculorum pharmacopolia, haud postremum illud à quodam Antiphone Corynthis erectum obtinuit. Hoc enim tot florum, radicum, lapillorum, gemmarum, pulverum, aliorumque medicamentorum generibus adornaverat, ut eidem hyperbolicum illud Lenama affigere præsumpsit: Hic

Pharmacopolium celebre Plus in Vita

Cun-

cunctis afflictis salutaris venditur medicina. Hoc erecti uuntio, ac pollicitatione, confluxere undique innumeris pressi languoribus, promissam postulaturi, ac praestinaturo opem. Hic pro senio, ille pro tussi, tertius contra mortem, herbam quampiam efflagitabat,

Verum brevi patuit eumentiam fuisse epigraphen, ac commendationem, cum nec senecio ullus ad repellendum molestum senectutis vitium, nec anus decrepita ad rugas honestandas, iuventutemque redintegrandam; nec quisquam alius ad libitinam fugandam inibi antidotum repererit.

*Heliotropii
Panchrestii*

Attamen in meo, quantumvis unica duntaxat profert species; ea nihilo minus tam efficax est, ut ei iure hoc Lemma praefigam: *Cunctis afflictis salutaris hic dispensatur medicina.* Quæritis quænam illa? Ajo esse Heliotropium, seu humanæ voluntatis cum divina conformitatem. Hac quisquis rite utitur, fieri nequit, quin levamen in suis afflictionibus sentiat. Ut tamen effectum debitum, & exoptatum sortiatur.

S. I.

Fundamentum Conformitatis humanae Voluntas cum divina.

*Mundus à
Deo conditus
& gubernatus*

Isa. 40. 12.

III. Supponendum, sciendum, & altissimè menti imprimendum, Mundum hunc non à Fato quopiam, aut Fortunæ exoculata commento, sed à Deo optimo maximo conservari

ac gubernari. Ille est de quo Isaias: *Appendit tribus digitis molem terra, & libravit in pondere montes, & colles in statera, id est, summâ suâ, atque incomprehensa Sapientia, Potentia, Bonitate Universum hoc ver sat, & convertat.* Primus digitus est inscrutabilis sapientia, qua attingit à sine ad finē fortiter, & dispositōtia suaviter per infima media, media per summa ad suos fines cuncta perducens. Alter est Potentia, qua totum id quod libitum fuerit, exequitur: *Quia non est impossibile apud Deū omne verbum.* Subest enim illi, cum voluerit posse. *Et omnia, quaecunque voluit fecit in cælo, & in omnibus abyssis.* Et hæc potentia ejus est virtutis, ut extra Deum nemo illam polleat constringere; nemo vigorem illius reprimere, nemo efficaciam, illius retardare. In ditione enim illius cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati illius. Tertius est Bonitas, qua cuncta conservat, ne in nihilum suum recidant, quaque se in servos, ac mancipia adeo indulgentem, munificum ac prodigum exhibet.

Eccli 3. 11

Luc. 1. 37

Sap. 12. 18.

Psal. 134. 12

IV. Proinde si quispiam investiget, sciscitetur de sæculis antiquis, de tot regnorum, ac imperiorum revolutionibus. Reponet Psaltes cum Jobo: *A Domino factum est istud, sicut Domino placuit, ita factum est.* Quidquid Superi voluere peractum est.

*Deus omnia
revolutionum
author*

*Psal. 117.
Job. 1.*

Si de præsentibus instet, petatve; undenam tot mala redundent? Respondebit Ecclesiasticus: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Solo & unico peccato excepto,

Eccli 11. 14.

Isa 45.7.

Omnibus
lacio à Deo

cepto, nihil evenit citra specialem Dei voluntatem, nutum, ac decretum. Responditur est ipse dominus ore Isaia: Ego dominus & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. q. d. meo arbitrio, & jussu candidis vehitur bigis faustitas, ac prosperitas, & meo nutu succedit atra calamitas. Meum beneficium est, quod discusso nubium sipario sol oriatur; & mea dispositione idem peplo caliginis obducitur. Ego advoco pacem, opulentiam, faustitatem; & non minus pro rei opportunitate bellum, inopiam, famem, pestem, calamitatem. Ego Dominus. &c.

A Deo omnia
speranda
& timendaS. Aug. in sermone
apud S. profp.

Si urgeas, à quo futura bona speranda? A quo timenda, mala? Respondeo ex ore ejusdem Domini mei: Capillos capitis nostri numeratos esse, nec unum quidem citra illius sanctissimam voluntatem destituere posse. Immo nec passerem de tecto, nec folium ex arbore casurum, nec quidquam aliud eventurum justis, nisi ipso connivente, ajuente, aut imperante. Nihil fit, scribit Lumen Africanum, in ista totius creatura amplissima quadam, immensaque Republica, quod non de summi Imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur. Et Amos Propheta: Si erit malum in civitate, quod dominus non fecerit. Nullum superventurum malum pœnæ, quod Deus non ordinaverit; nullum malum culpæ quod non permiserit. Si erit malum. &c.

V. Deus enim cum sit rerum om-

nium Arbiter, Judex, & Vindex omnium, ideo vel per elementa, vel homines alios, vel etiam Angelos ipsos tanquam executores Justitiæ punit, atque interficit peccatum, & vivificat justitiam, & æquitatem. Vel etiam periculum quodpiam facit pœnæ in justis ne pereant; sed periclitentur acerbiter earundem, & degustatâ miseriam temporali, sibi caveant à sempiterna. Vel mirâ divinæ sapientiæ arte, ac stratagemate ex dispendio naturæ compendium præparat gratiæ; & per molestias corporis beatitatem animæ accurat. Nec unquam infinita ejus Bonitas tantam in orbe calamitatem, aut malitiam permetteret, nisi majora inde bona eliceret; & ex ipsa hominum virulentia tanquam ex vipera ad nos sanandos theriacam conficeret.

VI. Desipiunt itaque, qui vel in homines, vel in ipsos Lemures Avernales, vel alios authores pœnarum sibi inflictarum originem derivant, & instar canis jaciente dimisso, ipsum lapidem admordent. Nam etsi homines malevoli ad nos affligendos concurrant, princeps tamen afflictionum causa Deus est, ordinans illam, ac permittens, instrumentalis homo. Nisi enim ille cum rationabilibus æque creaturis, ac irrationabilibus concurreret, nemo aut brachium flectere, aut stringere gladium, aut linguam movere polleret. Quid enim evicit Rex Saul totis viribus contra Davidem invito Domino? Nihil omnino. Quid fratres Josephi contra eundem? Nec hilum quidem. Quid Herodes, & Judæi cōtra Christū? Nihil aliud, quàm quod

Deus cum
omnibus o-
peratur

quod definitum erat desuper. Ergo si quando Sathanas nos infestat gravius, facit id indulgentiâ tanquam ad Jobum divexandum cœlitus obtentiâ. Si quispiam nos pugnis impetat, ipse dexteram percutientis regit; si quis detrahit, linguam calumniantis movet; si quis conculcat, vires conculcanti sufficit. Nam et si Deus author peccati non sit, nec esse possit (*mundi enim sunt oculi illius, ne videant malum, & ad iniquitatem respicere non poterit*) nihilominus ut causa prima concurrat cum omnibus, & cum placet absoluto suo dominio effectum remoratur; aut omnino suspendit.

VI. Desipiunt multò gravius qui invito Deo quidpiam fieri posse hallucinantur. In eos meritò invehitur Jeremias exclamans. *Quis est iste qui dixit, ut fieret. Domino non iubente? Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? q. d. Quis tam effrons; tam impius, & fideratus, ut dicat nec prospera, nec adversa provenire ex ore, præcepto, seu ordinatione divina? Quis tam emotæ mentis, ut Fatum aut fortunam incuset, & DEUM impotentem faciat? Quis tam bardus, ut alium orbis moderatorem præter Deum constituere præsumat. Quis est iste qui dixit, ut fieret Domino non iubente. Ergone nec DEUS solvit catadupas cœli, & cataraçtas terræ ad obruendam cataclysmo faciem illius? Ergone DEUS non pluit ignem de cœlo super Sodomam & Gomorrhâ? Ergo,*

ne invito Deo subversa sunt regna, extinctæ familiæ, cineribus obrutæ aliæ civitates. Quis est iste, qui hæc dicere præsumat? Quis est, iste qui vel imaginari sibi quidpiam simile queat? Quis est iste, qui dixerit.

VII. Desipiunt gravissimè, qui etsi credant à Deo provenire bona & mala, per impatientiam suam ore blasphemico contra Numen ipsum insurgunt. Et in istos zelo æquissimo invehitur Doctor Gentium, dicens: *Tu quies, qui respondes Deo? id est, à Deo factorum rationem exigas; aut de ipsius providentia conqueraris? Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem; aliud verò in contumeliam? Nonne in ipsius potestate est, efformare vas fictile, capax, elegans, politum, ut mensa regis imponatur; amphoras, quæ vino balsamo, aliisque pretiosis liquoribus serviant excipiendis; alios item urecos ad sordida quævis munia effingere? Nonne illius arbitrii eadem conservare, & confringere? Potestne ullum conqueri de injuria sibi facta, Neutiquam.*

Et ecce ait Dominus ipse: *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea. q. d. Ex luto formavi vos ab origine, ut sciretis, quemadmodum figulus pro suo libitu disponit argillam; ita meæ id esse, & multò eminentioris potestatis disponere de vobis. sicut lutum non potest dicere:*

Habac. 13.

Deo invito nihil fit

Ihr. 37.

Rom. 9.

Ibid.

Ier. 18.

cur me sic fecisti; sic nec vos Deo dicere: cur nos fecisti Domine Pauperes, ignobiles, contemptibiles, infirmos; illos autem nobiles, sapientes, validos fortes. Audiremus enim replicantem Dominum: Lutum tace, & patere. Patitur servus, & ancilla, si videat se à manu Domini sui vapulare, cur tu non æquo animo sufferes, quidquid à manu mea provenit. Tygris si videat catulos aut fulmine afflatos, aut peremptos, infrenat furores, quum non videat, in quem rabiem effundat, vel quod à dominio id basso patiat. Vah & tu immannior, & efferatior Tygride futurus, ut non modo furorem læsus ponas, sed exacuas, & inflammes? O lutum, lutum, tace & patere.

§. II.

Effectus Conformationis.

VIII. Sapiunt verò, qui universa, tanquam de manu Dei profluentia, ac redundantia acceptant, seque in omnibus summâ pietate, & affectu divinæ ipsius providentiæ resignant, ac committunt. Hi enim adhibent illud *Recipe*, quod quosvis mitigat dolores, acerbitates indulcorat, vulneribus nostris medetur. Hoc est malagma Sanctis, & Apostolicis viris usitatissimum; hoc est Heliotropium tantopere decantatum. Ite, ite, per quævis non Europæ duntaxat, sed Africæ, & Asiæ Pharmacopolia, disquirite, ac discutite earum species,

ac virtutes, nusquam efficacius, ac præstantius inventietis.

IX. In comperto perquam est Cælum esse statum omni aggregatione perfectum, Oceanum inexhaustæ felicitatis, fontem gaudiorum indeficientem, Paradysum voluptatis. Liquidum Sanctos Dei omnes gaudere inexplicabili beatitate. Obsecro undenam illa redundat? Cur exulab mœror, & mæstum curarum agmen? Ajo, non alio fonte redundare beata illa gaudia, quam ex summo amore, ac omnimoda cum Voluntate divina, conjunctione, atque conformitate. Etenim ut dolor promanat inde, quod quis non potiat eo quod apperit; ita gaudium supernorum Indigentum resultat ex eo, quod fruuntur omnino, quod volunt. Habent enim quidquid volunt, nec aliud volunt, quam quod Deus vult. Audiat S. Augustinus: *Omnipotentes erunt sua voluntatis, ut Deus sua. Nam sicut Deus poterit, quod volet per se ipsum; ita poterunt illi, quod volent per illum. Quia sicut illi non aliud volent, quam ille volet: ita ille volet quidquid illi volent, & quod ille volet, non poterit non esse.* Intuentur quippe clarissimè divinæ voluntatis rectitudinem, idque quod Deus vult, esse optimum, ideòque nihil aliud exoptant, quam ut id ipsum in illis, & in aliis eveniat, sicque ex voto fiunt omnia felicissimè, ac sanctissimè.

Jam videte, quidnam aliud in hac mortalitate homo conformis Deo faciat. Nonne & ipse suam voluntatem exuit,

Conformatio voluntatis huius, cum divina alexipharmacum

Sancti ex conformitate sua voluntatis cum divina felices Aug. in Sman. c. 134

exiit, & divinam induit? Nonne idem vult, & id enim vult, quod Deum velle, aut nolle cognoscit? Nonne omnia ad votum illius fluunt, ac refluent? Quomodo itaque fieri poterit, ut compungatur adversitatibus, seu doloribus, cunctis ex animi placito succedentibus? Quomodo fieri potest, ut patriæ beatissimæ gaudia non prælibet, & in ipsis calamitatibus promulside beatitatis non inebrietur?

Christus edocuit
Conformitatem voluntatis

X. Id forsitan nos edocere intendebat æternæ Sapientiæ Magister Christus Dominus, quando à discipulis rogatus, quatenus eos edoceret orare annuit, & ait; sic orabitur: *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua.* Nam cum prius præmittit Regni cœlestis participationem, modumque illico subnectit: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in Terra.* q. d. Participes eritis regni empyrei, sita promptè, a maner hilariter, integrè perseveranter executi fueritis divinam voluntatem hic in terris, quam promptè, integrè, sanctè illa completur in cælis Beati eritis, si quæ placita sunt Patri, eadem placita erunt & filiis, coeuntibus in unum voluntatibus inferioribus cum Superiore.

Iustus quomodo nunquam contristatur
Prov. 12. 21

XI. Expendi identidem intra me met paradoxam illud Salomonis in præconium justorum propositum. *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Et cogitavi, quid id fieri posset, quum illis neutiquam desint variarum ærumnarum acer vi, cum morbis sæpissime divexentur, animum ægritudines incurant, fames stringat, miseriæ corpus excedant, & quò quis sanctior,

ut plurimum sit calamitosior. Qui itaque non contristantur? Et de facto reperi non paucos repletos gaudio, & superabundantes consolatione in omni tribulatione. Unde illis tam æquabilis serenitas? tanta in fronte, oculisque constantia? unde perenne pascha, & sabbathum ex Sabbatho? Vel quæ ratione nos id ipsum consequi poterimus? Audite Oedipum Isaiam Vatem: *Dum non facis vias tuas, nec invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem; tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudinem terra.* Tunc gaudio perfunderis, & Olympi instar supra ludibria ventorum caput attolles, si te non juxta clepsidram itinerariam ac deambulatoriam tuæ voluntatis, sed juxta mansionarium, ac stabile horologium divinæ direxeris. Tunc æmulaberis cœlum, quod cum nubibus obducitur, nequaquam vultum suum exasperat, nec in tempestatem impellitur, aut versatur in turbinem; sed serenum atque incussum perseverat, infra duntaxat de præliantibus Boreæ, aut calamitatum procellis. *Tunc delectaberis &c.*

1/a. 58. 17.

XII. Commorante D. Paulo Apostolo Cæsareæ supervenit quidam Propheta à Judæa Agabus nomine, & arreptâ zonâ Pauli, ligavit sibi manus, ac pedes dicens: *Virum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.* Hoc oraculo mirum in modum consternati Apostoli cum fletu, ac lachrymis deprecabantur eum, ne Jerosolymam proficisceretur, offerentes semetipsos pro anima ipsius. Quibus Paulus: *Quid facis stantes, & affligentes cor meum? Ego enim*

Act. 21. 11
12.

S. Pauli
Conformitas cum
div. voluntate

ibid.

entis

enim non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu Fiat voluntas Dei. Quid factum, subdit textus: *Qui evimus dicentes; Fiat voluntas Dei.* Tamdiu luctus, lamentatio, dolor invalescere potuit, quamdiu Paulum in suam trahere sententiam nitebantur; at ubi suam divinæ conformare cœperunt, illico resedit tumultus, & discussa tristitiæ nebula serenum mentis illuxit. *Qui evimus dicentes! Fiat voluntas Dei.* Quippe vacillare, ac titubare mens ultra, intra adversa, nequit; cum stabili affigitur divinæ voluntatis fundamento; mitigatur dolor, profligatur mœror ubi corde malagma heliotropis apponitur; coalescunt vulnera, ubi in unum confœderatur, ac refingitur voluntas humana cum divina.

Exemplum
conformi-
tatis in
paupere
Blos in App.
Instit. Saut.
Dre.

XIII. Didicit id eximæ doctrinæ, ac pietatis Theologus à Blosio, & Thaulero aliisque celebratus. Hic assiduis precibus toto octennio Deum obtestatus, hominem sibi monstraret à quo compendiosissimam ad æternam beatitatem obtinendam viam edoceretur. Cum tandem audit intra se ipsum arcanè loquentem Deum, iret ocuis ad templi vestibulum ibi reperturus, quem optaret Doctorem. Proripuit se illico, & primum, quem offendit mendicum, lacerum, ac ulceribus pure fluentibus in crustatum, ut erat homo extra omnem fastum; ac arrogantiam, peramancer salutem, & candidum mane apprecatur. Cui mendicus: Non memini me unquam habuisse atrum, aut

duxisse adversum. Theologus tantquam non bene intellectus à misero correcturus suam salutationem: Eja inquit fortunatam tibi diem apprecor. At ego, reponit mendicabulum, infortunatus nunquam fui. Obstupuit ad hanc vocem Literatus, & neforsan errasset audiendo votum suum, paulò aliis verbis repetit, dicens Felicem te esse jubeo. Mox iterum mendicus: Nunquam infelix fui. Theologus argutari credens dicacem mendicum, & ut hominis ingenium experiretur. Eveniat inquit volo, quod optas, atque id fiat. Non est ait iste, quod hic querar, omnia inquit fiunt ut volo quamvis fortunæ meæ consilia haud applicem. Ad hæc prior graviore suspensus admiratione urgere hominem cœpit; qui id dicere posset in tantis miseriis, paupertate, doloribus? Nihil in te; ait, intueor quod te non proclamet, ac testetur infelicem, corpus vulneribus refertum, vestis attrita, & nimis oculata, status ipse de te annuntiant, quod sis miser, & miserabilis, nisi fortè hæc ipsa in deliciis reponas, & ipsa miseria felix esse velis. Tum mendicus, sorte quam mihi DEUS dedit, contentissimus sum; & non egere felicitate, felicitas mea est. Fortuna, & infortunium neminem lædunt, nisi volentem, aut certè timentem lædi. Nec ego unquam fortunæ supplico, sed Patri cœlesti qui rerum omnium gubernat eventus. Ita me nunquam infelicem arbitror, cui omnia ex voto fluunt. Quod si fame confictor, Deum providentissimum

Patrem

Patrem ob id laudo ; si frigus me urat , si nimbus in me irruat , si aliis cœlum injuriis impetat , Deum æquè laudo. Certus sum enim nihil mihi posse accidere , quantumvis adversum , durum , & acerbum quod prius à summi cœlestis Imperatoris aula non fuerit ordinatum. Certus sum , quod nihil mihi inferre possunt homines , dæmones , & creaturæ quæcunque , quàm Deus velit , providerit , ejusque facultatem indulserit , qui suis facit omnia cooperari in bonum. Certus sum horum omnium quæcunque mihi accidunt Authorem esse Deum , nec posse non esse optimum , quod Deo placeat. Eapropter omnia tanquam de manu Dei accepto , & hoc unum volo , quod DEUS vult ; ita omnia fiunt ut volo. Ita me fortunatum censeo , quando non ab alio , sed à solo Deo dependeo , meamque voluntatem integrè in divinam transfundo , ut apud me non aliud velle , aliud nolle sit , quam quod DEUS vult. Cognovit ex hoc discursu Theologus , hanc esse compendiosissimam ad DEUM , & beatitatem semitam , atque hanc subinde decurrere , ac tenere firmiter studuit.

XIV. Didicit idem , mitigandi quosvis dolores , & adversitates , vel etiam omnino profligandi artificium à SS. Epicteto & Astiane quidam Affessor judicii Vigilantius. Nam cum illi à Latroniano Proconsule variis tormentorum generibus examinarentur , steterunt animo infracto in omnibus , nihil aliud ingeminantes quam *Christiani sumus, Fiat Dei voluntas in nobis.* Quod audiens Vigilantius,

in eam semet persuasionem adduxit , ut crederet miræ virtutis incantamentum ea verba esse , quæ omnem doloris vim enervarent , & in ipsis suppliciis supplicia sentire inhiberent. Hæc ipsa itaque verba tanquam potentissimum carmen in omnem noxam assiduè repetere , nec aliud stans sedens , ambulans , dormi , forisque pronuntiare , quàm hoc ipsum : *Christiani sumus, Fiat Dei voluntas in nobis.* Triduum sic exegit , Deo ipsius veluti infantis non mali miserente. Quartâ demum die arcanâ vi motus in publicum prodiit , ac palam vociferari cœpit. *Christianus ego sum o Tyranne Latroniane , fiat voluntas Dei nostri in nobis.* Admissus in carcerem ad Martyres , Christianis sacris imbutus est , & subinde Martyriû lætus ipse , in iisdem verbis obiit. Quod tantæ virtutis hoc amuletum extitit in homine etiamnum à Christianis ritibus alieno , conjicere quàm efficax futurum in ipsis fidelibus,

XV. Ediscamus id ipsum ab iis , & aliis Sanctis Dei , vel potius ab eo , qui est Corona Sanctorum omnium. Ponite illam vobis ob oculos luctantem in horto Gethsemani , & notate quonam ceromate se inungat , quonam amuleto se confortet , & non indagabitis aliud , præterquam istud. *Non mea Pater , sed tua voluntas fiat.* Voluntas mea seu patris inferioris est , si occumbendum pro salute hominum , ut id fiat privatim citra tantam infamiam , & non in amphitheatro orbis in urbe Jerosolyma ; in clivo Gethsemani inter duos Latrones ; at siquidem

Conformitas voluntatum cum divina commendatur

Conformitas voluntatis mitigat tormenta In Vitis Patrum l. c. 12.

tu contrarium definivisti, *non mea, sed tua voluntas fiat*: sensus meus esset, si patiendum, & vita ponenda pro gloria tua, & hominum salute, id fieret manibus, vel Matris Genitricis meæ, ut illa instar Abrahami Isaacum me immolet, aut gladio cœlestis cujuscumque administratoris Justitiæ, aut alterius cujuscumque Sanctissimi Sacerdotis ministerio; at siquidem à te decretum, ut id fiat manibus carnificum gentilium, & à potestatibus tenebrarum, *non mea sed tua voluntas fiat*. Verum si etiam ita pereundum mihi est, optarem, ut saltem cœlitus tuos destinares Caduceatores ad mundum de mea informandum innocentia; aut eligeres ex viris Juda timentes DEUM, qui videntes afflictionem meam perinde ac amici Jobi compaterentur mihi compungerenturque, & cum fundente sanguinem minimum lachrymas evaporarent, verum cum videam tuam voluntatem in eo esse, ut desertus ab omnibus, etiam amicis & discipulis meis moriar, *non mea sed tua voluntas fiat*. Tibi me consecro, tibi me offero ad calicem hunc passionis hauriendum, in quantum, & quacumque tibi ratione placuerit. *Non mea sed tua voluntas fiat*. Etsi non semel, sed millies mihi occumbendum in cruce, *non mea sed tua voluntas fiat*. Eratque hæc resignatio tam potens, & efficax, ut teste S. Athanasio, impossibile cum esset detinere à morte. Humanitas ob carnis fragilitatem recusabat passionem; sed divinus ejus affectus affectanter illam subiit, eo quod non esset possibile

S. Athanasio
Luc.

eum detinere à morte.

Ergo si & nos sectatores illius indigitari volumus, æmulemur eundem, si mederi languoribus nostris exoptamus, hoc pharmaco utamur, resigæmus nos plenè in omni fortuna in manus ipsius divinæ providentiæ, & incessanter tanquam tesseram circumferamus in omni conflictu, *non mea sed tua voluntas fiat*. Absit ò amor meus, ò DEUS meus, ut quod tu vis ego nolim; aut quod tu non vis; ego velim. Tua voluntas mea est, immo jam non mea, sed tua, quia totam tibi consecro, dico, mancipio. Vis me ægrotare, volo & ego, vis tabescere, volo, vis adversitatibus conflictari, volo; vis ut cum Lazaro jaceam ad fores divitis, & mendicem micæ decedentes, aut cum Jobo supra fimerum resupiner, volo & ego. Vis alios majoribus cumulare bonis, & gratijs, volo & ego, illisque gratulor, siquidem tu id vis; nec illa mihi aliter exopto, quàm ut sanctissima tua voluntas expleatur. Nolo ut quicquam mihi elargiaris, nisi quod cedat ad majorem tuam gloriam, juxta tuum divinum beneplacitum. Nolo vivere, nisi juxta tuum decretum & imperium. Nolo quidquam velle, aut non velle, nisi quomodo, quando, & quantum tu vis, & non vis; ita ut tuum beneplacitum sit meum summum, & ultimum desiderium, jucunditas, consolatio, omni tempore, & in omni re. In te solo cupio quiescere, mihi que complacere & in nulla alia re.

Id si feceritis confidite in omni fortuna stabiles, atque erectos perstituros. Fiat.

CON-